

7° Soli Deo offerri potest sacrificium proprie dictum : sic omnes apprehendunt, juxta hæc S. Aug., de Civitate Dei, l. 10, cap. 4, verba : « Quis sacrificandum censuit, » nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit? » Fuerunt enim homines qui se deos haberi voluerant. « Rarissimi autem commemorantur, qui sibi ut sacrificia retur, cum regia potestate possent, ausi fuerint impere, » inquit S. Aug. contra adversarium Legis et Proph., l. 1, cap. 18. Sacrificia igitur falsis numinibus apud gentes oblata, a dæmonibus veri Dei æmulatoribus inducta fuerunt, et in ipsorum honorem cedunt : in eo namque positum est gravissimum idololatriæ crimen, quod honores soli Deo debiti ad creaturas maxima impietate transferantur. Unde Apostolus, I Cor. x, 20 : *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo.*

8° Cuncta Veteris Legis sacrificia ingens sacrificium a Christo pro salute mundi in cruce offerendum adumbrabant : *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti*, Rom. x, 4. Est agnus, *qui occisus est ab origine mundi*, Apoc. xiii, 8, nempe in victimis eum repræsentantibus, quæ multiplices erant et diverso ritu offerebantur, ut varias magni sacrificii circumstantias significarent, et efficerent ut res una tanquam verbis multis diceretur atque sine fastidio commendaretur. Facile autem monstrari potest vetera sacrificia eorumque cæremonias cum Christo ejusque sacrificio optime quadrare : v. g., mactabantur victimæ, Christus immolatus est; sacrificium pro peccato simpliciter dicebatur peccatum; Deus *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*, II Cor. v, 21; præscribebantur victimæ mundæ, Christus autem erat *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cælis factus*, Hebr. vii, 26 : corpora victimarum extra castra cremabantur, Christus extra portam Jerusalem passus est, etc.

9° De fide est Christum figuras sacrificiorum Veteris Legis adimplevisse, et cruci affixum, seipsum Patri pro peccatis totius mundi offerendo, verum consummasse sa-

crificium : *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam, in odorem suavitatis*, Eph. v, 2; *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata*, Hebr. xxviii, 9; *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*, Hebr. v, 7; *Una enim oblatione consummavit in sempiternam sanctificatos*, ibid. x, 14.

Dogma istud est fundamentum totius religionis Christianæ et ab hæreticis adhuc credentibus non negatur, bene vero a rationalistis qui vix nomine sunt Christiani, et in Tractatu *de vera Religione* confutantur.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA SACRIFICII MISSÆ.

Jam monuimus Eucharistiam non consistere in actione transitoria, sicut alia sacramenta, sed in ea distingui confectionem et statum permanentem : actio qua divinum illud sacramentum conficitur, variis nominibus appellatur, scilicet, apud Græcos, *μυσταγωγία*, id est *introductio ad mysteria*; *συναξίς*, seu *conventus* aut *cætus*; *ιερωσργία*, *opus sacrum*; *εὐλογία*, *benedictio*; *λατρεία*, *adorationis cultus*; *θυσία*, *sacrificium*, et præsertim *λειτουργία*, idem significans ac *opus sacrum publicum*, quia confectio divinæ Eucharistiæ præcellentissimum est opus sacrum : apud Latinos vero præcipue dicitur *collecta* vel *collectæ*, quia illius occasione populus in unum colligitur; *dominicum*, quia sacratissima est actio, ex institutione Domini facta; *oblatio*, quia divinæ majestati offertur; et communius *missa*, quæ vox neque Hebraica neque Græca est, ut quidam voluerunt, sed evidenter Latina, apud solos auctores Latinos usitata, a verbo *mittere* derivata; quia, re consummata, populus dimittebatur, publice dicendo, *Ite, missa est*. Missa pro missione ponitur, sicut *collecta* pro collectione, et sensus est : *Missio seu dimissio vobis datur, ite.*

Duplex olim fiebat populi dimissio, inter ritus pro confectione sacra Eucharistia constitutos : una post evange-

lium, quando dimittebantur poenitentes et catechumeni, et altera in fine operis sancti, clamante diacono, *Ite, missa est*. Pars prior vocata est *missa catechumenorum*, et posterior *missa fidelium*. Hinc S. Aug., Sermone 49: « Ecce » post sermonem fit missa catechumenorum; manebunt » fideles. »

Hinc mos invaluit totam liturgiam, sive publice, sive privatim celebratam, vocandi *missam*. S. Avitus, episcopus Viennensis, anno 524 vita functus, in Epist. 1 Gundobaldo regi, dicit: « In Ecclesiis palatiisque, sive prætoriiis, missa fieri prænuntiatur, cum populus ab » observatione dimittitur; » Biblioth. Patrum, t. 9. Hanc esse vocis *missæ* etymologiam plerique docent auctores, ut card. Bona, l. 1, cap. 1; P. Le Brun, t. 1; Bossuet, *Explication de la messe* (t. 24), etc.

Quæstio est igitur an sanctissima illa divinæ Eucharistiæ confectio proprie dictum sit sacrificium: negant quicumque dogma præsentiae realis rejiciunt, et in hoc sibi consentiunt. Lutherani, præsentiam realem retinentes, nihilominus rationem sacrificii proprie dicti abjiciunt: patriarcha eorum totam retinuit liturgiam usque ad finem Symboli; reliquam vero vocat abominationem. Dicit in libro de Missa privata, anni 1534, *sibi a dæmone suggestum et persuasum fuisse missæ sacrificium abrogandum esse*; in confessione sua declarat se missam super omnes abominationes habere, et maxime dolere eam per quindecim annos more catholicorum celebrasse.

Henricus VIII totam conservavit liturgiam, expunctis tantum nominibus summi Pontificis, S. Thomæ Cantuariensis et nonnullis aliis: verum sub Eduardo VI, vetus abrogata, vel universim mutata est liturgia, et deinde generalia regni comitia declaraverunt, anno 1549, Eucharistiam esse quidem sacramentum, non vero sacrificium. Et hoc confirmatum est anno 1562, sub regina Elizabeth a synodo Londini coadunata, quæ actum edidit dictum *uniformitatis*, quo substantia doctrinæ Ecclesiæ Anglicanæ fuit determinata in 39 famosissimis articulis: *Fleury Cont.*, l. 162, n. 62.

Diversæ igitur Protestantium sectæ, sicut Mahumetani, non nisi sacrificia improprie dicta, videlicet laudum, precum, etc., in cultu suo habent.

Cæteri Christiani catholici, schismatici et hæretici in missa proprie dictum agnoscunt sacrificium, non quidem absolutum, sed relativum et sacrificii crucis commemorativum.

PROPOSITIO.

In Eucharistiæ confectioe, quæ dicitur Missa, verum Deo offertur sacrificium.

Prob. Propositio est de fide; probatur ex prophetiis, ex verbis Christi, ex Apostolorum praxi, ex testimoniis Patrum, ex præscriptione et ex rationibus theologicis.

1º *Est de fide.* Traditur enim in concilio Nicæno I, can. 14, ubi prohibetur ne qui offerendi sacrificii potestatem non habent, *his qui offerunt corpus Christi porrigant*. In Ephesino, generali III, dicitur, *Labbe*, t. 3: « Sanctum » ac vivificum incrementumque in ecclesiis sacrificium per » agimus; corpus quod proponitur, similiter et pretiosum » sanguinem. » In Chalcedonensi, t. 4, Eucharistia vocatur, nemine reclamante, *Terribile et incrementum sacrificium*. Tandem in concilio Trid., sess. 22, can. 1, expresse definitur his verbis: « Si quis dixerit in missa non offerri » Deo verum et proprium sacrificium....; anathema sit. » Ergo 1º.

2º *Prob. ex prophetiis.* Ps. CIX, 4: *Juravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*. Dubitari non potest quin hæc verba de Christo sint intelligenda, cum Apostolus, Hebr. v, 5 et 6, dicat: *Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum.... Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*. Unde missa proprium est sacrificium, si 1º Melchisedech verum obtulerit sacrificium; si 2º Christus simile offerre debuerit sacrificium, et si 3º tale sacrificium non nisi in missa reperiri possit: atqui hæc tria constant.

1º Melchisedech verum obtulit sacrificium; legitur enim

in Gen. XIV, 18 : *Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Altissimi, benedixit ei.* Ex hoc textu, sic argumentari licet : Ratio cur Melchisedech panem et vinum obtulit, est, juxta Scripturam, quia erat sacerdos : *erat enim sacerdos Altissimi.* Verum oblatio seu prolatio panis et vini ab aliquo facta ex eo quod sit sacerdos Altissimi, designat oblationem seu sacrificium Deo factum. Ergo.

Aliunde dici non potest, ut volunt Protestantes, Melchisedech obtulisse, per panem et vinum, alimenta Abraham et militibus ejus : nam 1° Abraham et milites ejus magnam referebant substantiam; 2° Abraham *dedit ei decimas ex omnibus*; 3° ideo panem et vinum obtulit, quia erat sacerdos Altissimi. Ergo 1°, etc.

2° Christus debuit offerre sacrificium cujus sacrificium Melchisedech fuit typus seu figura; est enim sacerdos, juxta Prophetæ et Apostoli verba : sacerdos autem dicitur, quia sacrum facit, seu sacrificat. Porro non esset sacerdos secundum ordinem Melchisedech, si ipsius sacrificium quamdam non haberet similitudinem cum sacrificio Melchisedech, et excellentius esse debet, quia ante Christum *omnia in figura contingebant illis*, I Cor. x, 11. Si autem B. Paulus, Christum cum Melchisedech conferens, circumstantiam sacrificii non meminerit, id contigit quia illa ad scopum a se intentum non attinebat. Ergo 2°.

3° Hujusmodi sacrificium in sola missa inveniri potest, nempe sacrificium panis et vini, sicut Melchisedech obtulerat, sed modo longe perfectiori, quod generaliter adverterunt et docuerunt SS. Patres; v. g., S. Cyp., Epist. 63 : « Ut ergo in Genesi, per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante » imago sacrificii Christi, in pane et vino scilicet constituta : quam rem perficiens et adimplens Dominus, panem et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo » veritatis, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. » Tota legatur Epistola S. Aug. de Civitate Dei, l. 16, cap. 22 : « Sed plane tunc benedictus est (Abraham) a » Melchisedech, qui erat sacerdos Excelsi... Ibi quippe

» primum apparuit sacrificium quod nunc a Christianis » offertur Deo, toto orbe terrarum. » Ergo 3°.

Malach. I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Sacrificium hic prænuntiatum est vel sacrificium Aaronicum, vel sacrificium crucis, vel sacrificium bonorum operum, vel sacrificium missæ; alia hypothesis excogitari non potest : atqui tria priora dici nequeunt. 1° Non sacrificium Aaronicum, siquidem Deus expresse dicit Judæis se munus de manu eorum non suscepturum, et aliquid magnum futurum ac novum prænuntiat. 2° Non sacrificium crucis, quod semel et in uno loco tantum oblatum est. 3° Non sacrificium imperfectum seu bonorum operum; quia 1° bona opera non simpliciter dicuntur sacrificia, sed cum addito, v. g., sacrificium laudis, sacrificium justitiæ, etc.; 2° quia prænuntiarum non poterant, ut novum constituentia sacrificium, cum semper a Judæis offerri potuerint; 3° quia in Protestantium principiis, hæc opera dici non possint *oblatio munda*, siquidem omnes actiones nostras, quantumvis ex se laudabiles, ut totidem habent peccata. Unde S. Just., Dial. cum Tryph., n. 31, integrum Malachiæ citat textum et addit : « De iis autem quæ in omni loco a » nobis gentibus offeruntur ei sacrificiis, hoc est, de pane » Eucharistiæ et de calice similiter Eucharistiæ, jam tum » prædicat. » Ergo 2°.

3° *Ex verbis Christi.* In institutione enim Eucharistiæ, Christus dixit : *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur; Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, vel *funditur*, ut habet textus Græcus. Unde sic : Eo instanti corpus Christi erat sub specie panis, et sanguis sub specie vini, vi sacramenti, ac proinde tunc Christus aderat sacramentaliter in statu mortis, corpus et sanguis ejus in remissionem peccatorum Deo Patri offerebantur, cum precibus, benedictionibus et gratiarum

actionibus : in ea igitur actione sacra omnes reperiuntur characteres sacrificii proprie dicti. Porro Christus dixit Apostolis eorumque successoribus : *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. XXII, 19. Ergo 3°.

4° *Ex Apostolorum praxi*. Exemplo Christi et ex mandato ejus, Apostoli sacram confecerunt Eucharistiam, eamque velut sacrificium obtulerunt : *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis*, Act. II, 42. *Una sabbati cum convenissemus ad frangendum panem*, ibid. XX, 7, etc. B. Paulus enim, I Cor. X, 16, ait : *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Deinde, fideles a cultu idolorum deterere volens, addit, 20 : *Sed quæ immolant Gentes, dæmonii immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum*. Et Heb. XIII, 10 : *Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt*. Ex his testimoniis constat Apostolum sacræ Eucharistiæ confectionem sacrificiis apud paganos usitatis comparare : at vera apud paganos fiebant sacrificia. Ergo 4°.

5° *Ex testimoniis SS. Patrum*. Jam citavimus testimonia non dubia S. Justini, S. Cypriani et S. Aug. Tertul. de Corona, cap. 3 : « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus... calicis aut panis nostri aliquid » decuti in terram anxie patimur. » S. Ambros., de Officiis, l. 1, cap. 41, n. 214, verba S. Laurentii ad S. Sixtum, ad martyrium properantem, sic refert : « Quo, sacerdos sancte, sine diacono properas tuo? Nunquam sine » ministro sacrificium offerre consueveras. »

S. Hieron. in cap. 46 Ezech. loquens de Eucharistia, dicit eam esse *legitimum Dei sacrificium, iuge atque perpetuum*.

S. Aug. multis in locis de sacrificio Eucharistiæ loquitur, et præsertim in Conf., l. 9, cap. 11, refert matrem suam prope morituram sibi et fratri suo dixisse : « Ponite » hoc corpus ubicumque, nihil vos ejus cura conturbet,

» tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis » mei ubi fueritis. » Postea circumstantias funeris ejus describens, dicit, n. 32 : *Sacrificium pretii nostri pro ea oblatum fuisse, sicut illic fieri solet*. Certe nihil clarius considerari potest. Ergo 5°.

6° *Ex præscriptione*. Omnes ecclesiæ, per orbem dispersæ, Latinæ, Græcæ, omnesque sectæ Orientales antiquissimæ, solis Protestantibus exceptis, habent et semper habuerunt altaria in quibus immolarent, sacerdotes qui sacrificarent, liturgias quæ ritum immolandi et offerendi continerent, et omnes, saltem quoad substantiam, perfecte sibi consentiunt, ut videre est apud Card. Bona, Rerum liturgic. lib. 1, c. 6; P. Martène; P. Scheffmacher, lettre 1; P. Le Brun. Impossibile est autem ritum tam sanctum, tam antiquum, tam veneratum, tam diffusum et uniformem in re, decursu temporum fuisse introductum. Ergo 6°.

7° *Ex rationibus theologicis*. 1° In Ecclesia verum existit sacerdotium, ut ait B. Paulus, Hebr. VII, 12 : *Translato sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat*, et universa testatur traditio : at præcipuum munus sacerdotis est offerre sacrificium : *Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*, Hebr. V, 1. Ergo. 2° Semper in Ecclesia exstiterunt altaria, ut constat ex verbis Apostoli supra citatis, *habemus altare*, etc., ex antiquissimis Patribus et ex toto historiae ecclesiasticæ decursu : porro altaria non dicuntur nisi propter sacrificia in illis offerenda ; quod adeo verum est, ut Calvinus sacrificium Eucharistiæ tollens, nomen altaris mutaverit in mensam, Inst. lib. 4, cap. 18, n. 2. 3° In confectione sacræ Eucharistiæ omnes reperiuntur conditiones ad constituendum sacrificium proprie dictum, nempe victima divine instituta, minister rite deputatus, sensibilis oblatio soli Deo facta, et mystica victimæ vere immolatæ representatio, cum vi verborum corpus sit sub specie panis et sanguis sub specie vini. Ergo 7°. Aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Christus in ultima cœna recubuit cum discipulis, panem accepit, benedixit ac fregit deditque illis, sed non legitur eum sacrificium obtulisse : ergo sacræ Eucharistiæ confectionem non instituit velut sacrificium.

R. Nego conseq. Nam 1^o omnia quæ Christus in ultima cœna dixit, non fuerunt scripta. 2^o Legitur eum oculos ad Patrem levasse et gratias egisse : hæc autem evidenter significant oblationem, ac proinde sacrificium. 3^o Res per se denotat sacrificium. Ergo.

Inst. 1^o. Christus sacrificium crucis prænuntiare voluit, et ideo de sanguine suo dixit, *qui pro vobis fundetur* : ergo verum non obtulit sacrificium.

R. Nego ant. 1^o Enim si Christus solummodo sacrificium crucis representare aut significare voluisset, nudum adhibuisset signum, non vero præsentiam realem. Atamen de fide est illum convertisse panem in corpus et vinum in sanguinem suum. Ergo. 2^o In textu Græco non habetur futurum, sed præsens, *funditur*. 3^o Et si legendum esset, *fundetur*, ad exprimendam realem sanguinis effusionem, nihilominus actualis mystica effusio exstitisset, cum de præsentia reali constet. Ergo.

Inst. 2^o. Si Christus verum obtulisset sacrificium valoris infiniti in ultima cœna, jam sacrificium crucis fuisset inutile. Ergo.

R. Nego ant. Singulæ actiones Christi infiniti fuerunt pretii, et tamen mundum independentem a sacrificio crucis non redemerunt, quia, ex decretis Dei, Christus moriturus et superabundanter satisfactorus erat : sic *a pari* sacrificium ultimæ cœnæ, licet verum et valoris infiniti, sacrificium crucis non evacuavit. Præterea, suum habebat valorem ex futuro crucis sacrificio, cujus realis erat representatio. Ergo.

Inst. 3^o. Plures theologi in concilio Trid. dubitabant an Christus in ultima cœna verum obtulisset sacrificium, ut narrat Palavic., l. 18, cap. 1, n. 10, et cap. 2. Ergo.

R. 1^o. *Negari potest ant.* Non præcise enim quidam in concilio Trid. dubitabant an Christus in ultima cœna verum obtulisset sacrificium, sed an ipsius sacrificium fuisset propitiatorium, sicut est sacrificium missæ, ut videre est apud Palav.

R. 2^o. *Nego conseq.* Nam 1^o omnes Patres qui circa naturam potius quam existentiam sacrificii Christi dubium movebant, de veritate sacrificii missæ non dubitabant. Unde ad summum sibi contradixissent. 2^o Etiamsi concederetur eos de existentia sacrificii Christi, vel de ipso sacrificio missæ dubitasse, quid inde? Nonnullorum opinio, ante positivam Ecclesiæ definitionem, fidei dogma non concutit. Ergo.

Obj. 2^o. Apud B. Paulum, Hebr. ix, 12, legitur Christum semel introisse in sancta, *æterna redemptione inventa*; et 26 : *Semel in consummatione sæculorum, ad destinationem peccati per hostiam suam apparuisse*; et cap. x, 14 : *Una oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos*. Ergo aliud, præter sacrificium crucis, non requirendum est sacrificium.

R. Nego conseq. Christus equidem seipsum Deo Patri in cruce offerens, abunde pro peccatis totius mundi satisfecit quoad pretium : sed Deus, ex rationibus sibi cognitis, statuit ut pretium istud valoris infiniti specialibus modis applicaretur individuis : hinc sacramenta a Christo instituta, aliæque media apud ipsos Protestantem usitata, ut actus fidei, spei, charitatis, religionis, orationes, eleemosynæ, etc., quæ plus minusve directe gratiam producant, suam efficaciam ex sacrificio crucis hauriunt : ergo similiter missa potest esse sacrificium proprie dictum, sed relativum ad crucis sacrificium, ejus commemorativum, et ex eo vim suam ac virtutem ducens. Ideo virtus sacrificii crucis per missæ sacrificium non evacuatur nec minuitur.

Juxta enim fidem Ecclesiæ, sacrificium missæ non differt substantialiter a sacrificio crucis, sed tantum in modo illud offerendi : eadem quippe est hostia et idem sacerdos principalis, nempe Christus, qui, *eo quod maneat in æternum*,

sempiternum habet sacerdotium : unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis, Hebr. vii, 23.

Quædam proferuntur difficultates ex ratione petite, scilicet, ex eo quod immutatio victimæ ad constituendum sacrificium requisita, in missa reperiri nequeat.

Sed eas multiplici modo solvunt theologi.

Priori definitioni sacrificii a nobis allatæ inhærentes alii dicunt non esse quidem cruentam mactationem sicut in sacrificiis Judæorum, sed hanc necessariam non esse ad rationem sacrificii commemorativi; in missa Christum, per verba consecrationis, in statu inferiori constitui, et hic in statu *victimæ* et *cibi* effici præsentem, sub speciebus utrumque exprimentibus, quod sufficit.

Alii in sacrificio Christi partes illas varias distinguentes, quæ in sacrificiis Hebræorum reperiebantur, scilicet, sanctificationem, oblationem, immolationem, consummationem et communionem, eas non disjungendas esse dicunt, sed omnes coalescere unicumque sacrificium efformare contendunt. Nunc et in æternum Christus stat coram Patre in statu consummationis, et in eo statu per verba consecrationis super altare fit præsens et offertur, et cum sit a sacerdote fidelibusque sumendus, in statu quoque communionis adest. Hæc autem, cum separari nequeant a sanctificatione et oblatione jam effectis, neque ab immolatione cruenta, nunc mystice representata unum cum ipsis sacrificium constituunt. Sic P. de Condren, Præp. Gen. Cong. Orat.

Nec ab iis dissentire videntur qui dicunt quotidianas oblationes cum immolatione crucis in mente Christi essentialiter a principio ordinem habuisse, et ideo separari non posse ab ea immolatione, aliunde speciebus panis et vini expressa. Sic apparet mira unitas inter omnia sacrificia relativa sacrificiumque absolutum crucis.

Juxta posteriorem quam tradidimus definitionem, quæ veram sacrificii rationem magis exhibere videtur, evanescit difficultas.

Adest enim nota in rebus qua exprimitur potestas Dei

vitæ et mortis auctoris. Hæc autem mystica immolatio essentialiter refertur ad veram victimæ mactationem. Aliunde (quod summopere notandum est) Christus realiter adest et offertur. Hinc habetur quidquid *sacrificium commemorativum* constituit.

Sic missa dici potest sacrificium spirituale, licet verum et sensibile, per oppositionem ad vetera sacrificia ipsius typica, et ad sacrificium crucis, cujus est mystica renovatio. Sic ubique verificantur sequentia verba Christi, Joan. iv, 23 : *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Frustra igitur hæc verba a Calvinistis nobis objiciuntur, quasi sacrificium missæ excludentia.

Hæc præclare scribit *Moehler* (Symbolique, l. 1, § 34) :
 « Le sacrifice de la messe est un véritable sacrifice; mais
 » on ne peut toutefois le séparer de la vie du Sauveur,
 » comme on le voit clairement par le but de son institution.
 » Dans cette dernière partie de son sacrifice, Jésus-Christ
 » nous donne tout ce qu'il a fait pour nous; son immolation
 » d'objective qu'elle était devient subjective, propre
 » à chacun de nous en particulier. Le Rédempteur s'immolant sur la croix nous est encore étranger; dans ce
 » culte, il est notre bien propre, notre victime. Là il se
 » donna pour tous les hommes, ici il se donne à chacun de
 » nous. Là il ne fut que victime, ici il est reconnu et adoré
 » comme tel. »

Vide *Vasquez, de Lugo, de Pressy, etc.*

CAPUT SECUNDUM.

DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ.

Apud omnes constat duo ad rationem sacrificii omnino necessaria esse : rem offerendam seu victimam, et actionem offerentis. Quærendum est igitur 1^o quænam res in sacrificio missæ Deo sit offerenda, et 2^o quænam actio ad essentiam illius sacrificii pertineat.

ARTICULUS PRIMUS.

DE RE IN SACRIFICIO MISSÆ ESSENTIALITER OFFERENDA.

Plerique Protestantes, saltem Lutherani et Anglicani, nomen sacrificii retinent, et sanctæ cœnæ, ut aiunt, illud applicant. Sed Melanchthon, in Apologia confessionis Augustanæ, contendit illud esse tantum eucharisticum seu gratiarum actionem, a fidelibus Deo reconciliatis factam, pro remissione peccatorum et aliis beneficiis acceptis; non vero propitiatorium dici posse, sine grandi in sacrificium crucis contumelia.

P. Le Courayer, canonicus regularis S. Genovefæ Parisiensis, in opere dicto: *Dissertation sur la validité des ordinations Anglicanes*, anni 1723, et in altero: *Défense de la Dissertation*, etc., anni 1726, contendit Anglos, præsentiam realem negantes, omnia ad essentiam sacrificii necessaria nihilominus retinere, et controversiam hoc in puncto inter eos atque catholicos esse duntaxat nominis; vult autem naturam sacrificii in sola mortis Christi repræsentatione consistere, etiam absque reali præsentia, et solummodo esse sacrificii crucis commemorationem.

Catholici vero libenter concedunt illud revera sacrificii crucis esse commemorationem, sed veram, realem, et non nudam. Cum quibus sit sequens propositio

PROPOSITIO.

Nuda sacrificii crucis repræsentatio ad essentiam sacrificii missæ, prout a Christo fuit instituta, non sufficit, sed præsentia realis est omnino necessaria.

Prob. Concilio Trid., testimoniis Patrum et rationibus theologis.

1° *Concilio Trid.*, sess. 23, cap. 1, ubi sic habetur: « Dominus noster.... ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi

» permaneret; atque illius salutaris virtus in remissionem
» eorum, quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum,
» applicaretur... corpus et sanguinem suum sub speciebus
» panis et vini Deo Patri obtulit: ac sub earundem rerum
» symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacer-
» dotes constituebat, ut sumerent tradidit; et eisdem eorundemque in sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit
» per hæc verba: *Hoc facite*, etc. »

In capite 2: « In divino hoc sacrificio quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruento obtulit. » Et in canone 3 ejusdem sess., anathemate percutit eum qui dixerit *missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti*. Concilium non præcise propositionem nostram definit, quia necessitatem præsentiam realem non directe exprimit, sed eam in his textibus evidenter supponit. Ergo 1°.

2° *Testimoniis Patrum*. Relegantur testimonia superius ad probandam sacrificii missæ existentiam citata, et comperietur Patres non aliter dictum intellexisse sacrificium nisi de vera corporis et sanguinis Christi oblatione: ergo semper arbitrati sunt præsentiam realem ad illius essentiam pertinere. Ergo 2°.

3° *Rationibus theologis*. 1° Sacrificium missæ longe præstantius esse debet veteribus sacrificiis quibus adumbrabatur: at, in adversariorum sententia, præstantius non esset, siquidem vetera etiam crucis sacrificii erant repræsentationes seu figuræ. 2° In sacrificio proprie dicto res aliqua sensibilis cum notabili immutatione offerenda est; at si missa nuda esset sacrificii crucis repræsentatio, nulla res sensibilis cum notabili immutatione Deo offerretur: ergo. 3° Apud omnes Catholicos certum est sacrificium missæ a sacrificio crucis non differre, nisi in modo illud offerendi: si autem essentia ejus in sola repræsentatione vel commemoratione sacrificii crucis consisteret, manifestum est quod utrumque essentialiter differret. Ergo 3°.

Sæpe tamen Patres et alii doctores missæ sacrificium

vocant similitudinem, memoriam, commemorationem, figuram, imaginem, symbolum, etc., sacrificii crucis, et quidem rectissime; sed dicendum est illud esse simul figuram, imaginem, etc., et realitatem; quod *ex dictis* optime intelligitur.

Unde theologus apud *de Pressy*, t. 1, col. mili 1420 :
 « Dès le moment de son incarnation, il a exercé son sacerdoce; il a continué de l'exercer à chaque instant jusqu'à sa mort; il a continué depuis lors à chaque moment et il continuera ainsi durant tous les siècles l'exercice de ce même sacerdoce. »

ARTICULUS SECUNDUS.

DE ACTIONE IN QUA ESSENTIA SACRIFICII CONSISTIT.

Sex præscriptæ sunt vel distinguuntur actiones in celebratione missæ, nempe 1° offertorium quod est oblatio panis et vini; 2° consecratio; 3° oblatio corporis et sanguinis Christi, post consecrationem, per hæc verba : *Unde et memores nos servi tui... offerimus præclaræ Majestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam puram*; 4° fractio hostiæ; 5° communio seu sacramenti consumptio; 6° sacramenti distributio.

Certum est 1° nullam ex his actionibus voluntarie omitti posse sine peccato mortali, quia esset mutatio in re gravi; et aliunde, his omnibus peractis, sacrificium missæ esse completum : nihil quippe aliud exhiberi potest ut essenziale.

2° Essentia sacrificii missæ non consistit in offertorio : siquidem panis et vinum duntaxat offeruntur, dum oblatio corporis et sanguinis Christi de essentia est hujus sacrificii, *ex supra dictis*.

3° Non consistit in oblatione quæ fit post consecrationem. Nam 1° illa oblatio non fit nomine Christi, sed nomine Ecclesiæ. 2° In ea nulla fit victimæ immutatio. 3° Christus in ultima cœna fecit quidquid pertinebat ad essentiam sacrificii quod instituebat : atqui nihil probat eum hanc secundam oblationem fecisse : ergo.

4° Non consistit in fractione hostiæ; hæc enim fractio

rem ipsam offerendam nullo modo afficit, ac consequenter sacrificii essentiam constituere non potest. Unde S. Th., 3 p., q. 83, art. 6, ad 6^{um}, et omnes theologi cum illo : « Dicendum quod fractio fiat hostiæ consecratiæ, et quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum; et ideo horum præmissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa ejusdem celebrationem. » Ergo.

5° Non in distributione quæ fit populo; alioquin 1° missa non esset sacrificium respectu eorum qui non communicant. 2° Distributio ex hostiis in ea missa consecratis necessario facienda esset. 3° Missa in qua solus communicaret sacerdos celebrans, vera non esset missa. 4° Solus sacerdos celebrans communionem distribuere posset : atqui hæc omnia falsa sunt : ergo 5°.

6° Contra vero nullum est dubium quin consecratio ad essentiam sacrificii missæ pertineat; per eam enim actionem Christus in eute sacramenti realiter constituitur, mystice inactatur, et seipsum Deo Patri per sacerdotem offert. Ergo.

7° Quavis consecratio upius speciei seorsim sumpta sit valida, *ut in prima parte ostendimus*, consecratio utriusque speciei ad essentiam sacrificii necessaria est; quia secus sacrificium crucis non realiter representaretur, Christus in statu mortis Deo non offerretur, sacrificium in ultima cœna institutum non renovaretur, nec proinde hæc implerentur verba, *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo.

8° Bellarminus, Melchior Canus, *Tourneley*, et plures alii crediderunt communionem sacerdotis ad essentiam sacrificii missæ pertinere; quia illud sacrificium per modum convivii fuit institutum, nec concipitur sine sumptione. Alii vero generaliter theologi fatentur communionem sacerdotis esse integram hujus sacrificii partem, jure divino strictissime præscriptam : et inde natam esse rubricam, ut si sacerdos post consecrationem et ante communionem deficiat, alius substituatur sacerdos,

etiam non jejunus, qui missam perficiat : sed negant eam ad naturam illius sacrificii pertinere : quia 1° sacrificium perfectum existere potest sine sumptione, ut olim holocausta. 2° Communio seu sumptio est participatio victimæ, et ideo supponit eam esse mactatam atque oblatam. 3° Certum est Christum in ultima cœna verum obtulisse sacrificium, et incertum an proprium corpus et sanguinem sumpserit, licet hoc habeatur ut valde probabile : ergo saltem concipitur essentiam sacrificii communionem non absolute supponere. Ergo.

Recenseantur quæ supra breviter diximus.

CAPUT TERTIUM.

DE EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ.

Tria hic inquiri possunt, scilicet, 1° quos effectus sacrificium missæ producat, 2° quomodo eos producat, et 3° quis sit ejus valor.

ARTICULUS PRIMUS.

QUOS EFFECTUS SACRIFICIUM MISSÆ PRODUCIT.

Ratione finis seu effectus, quadruplex olim distinguebatur sacrificium, videlicet latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium.

At libenter concedunt Protestantes sacræ Eucharistiæ confectionem esse sacrificium *latreuticum*, ad Deum supremo cultu adorandum, et *eucharisticum*, ad gratias ei persolvendas. Sed pertinaciter negant illud esse *propitiatorium* et *impetratorium*, sub prætextu quod tunc sacrificio crucis illuderet ; contra quos sit

PROPOSITIO PRIMA.

Sacrificium missæ est propitiatorium.

Prob. Propositio est de fide ; probatur testimoniis Patrum, liturgiis et ratione.

1° *Est de fide*, ut pote in concilio Trid. definita, sess. 22, can. 3 : « Si quis dixerit missæ sacrificium tantum esse » laudis.... non autem propitiatorium...; anathema sit. » Ergo 1°.

2° *Probatur testimoniis Patrum.* S. Cyrillus Hierosol., Catech. mystag. 5, n. 10 : « Christum mactatum pro nostris peccatis offerimus, clementem Deum pro nobis de » mereri et propitiare satagentes. »

S. Ambros., de Officiis, l. 1, cap. 48, de Eucharistiæ sacrificio agens, ait : « Offert sese quasi sacerdos (Christus), ut peccata nostra dimittat. »

S. Hieron. in cap. 1 Epist. ad Tit. : « Quid de episcopo » sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? » Ergo 2°.

3° *Liturgiis.* In cunctis enim liturgiis, etiam antiquissimis, Orientalibus et Occidentalibus, hæreticorum et schismaticorum, sicut Catholicorum, sacrificium missæ pro remissione peccatorum offertur. Ergo 3°.

4° *Ratione.* Christus est propitiatio pro peccatis nostris : atqui ipse Christus in sacrificio missæ Deo exhibetur, realiter præsens, et tanquam pro peccatis nostris immolatus : ergo sacrificium istud debet esse propitiatorium, nec ullo modo sacrificio crucis ad sensum Protestantium derogat : quod sic exponit Bossuet, *Exposition de la doctrine de l'Église catholique* : « C'est la doctrine expresse de l'Église » catholique dans le concile de Trente, qui enseigne, » sess. 22, cap. 1, que ce sacrifice n'est institué qu'afin de » représenter celui qui a été une fois accompli en la croix, » d'en faire durer la mémoire jusqu'à la fin des siècles, et » de nous en appliquer la vertu salutaire pour la rémission » des péchés que nous commettons tous les jours. Ainsi, » loin de croire qu'il manque quelque chose au sacrifice » de la croix, l'Église, au contraire, le croit si parfait et » si pleinement suffisant, que tout ce qui se fait ensuite » n'est plus établi que pour en célébrer la mémoire et » pour en appliquer la vertu. » Ergo 4°.